



[p. 191.]

CAPVT VI.

DE

PERSONIS FEVDVM
ADQVIRENTIBVS.

DISTINCTIO I.

Inter acquisitionem feudi per primam inuestituram, ¹⁾ et per successionem.

Merito hanc Distinctionem in doctrina de personis feudum adquirentibus praemitto, licet non satis a Dd. in tractanda hac materia attendi soleat, vnde non potest non iterum non leuis oriri confusio. Vfus enim huius distinctionis maximus sane est. Feudum per primam inuestituram acquirere potest omnis ille, qui alias dominium rei acquirere, et se ad factum aliquod praestandum obligare non prohibetur. Nulla igitur in adquirente requiriturabilitas, quam alias ius feudale in vasallo desiderat, sed dominus sciens etiam quemlibet inhabilem de feudo nouo inuestire potest, modo non publica lege ab acquisitione feudi remotus sit, ²⁾ E contrario per successionem feudum acquirere secundum regulam nemo potest, nisi qui habilitate illa, quam ius feudale vel mores regionis requirunt, praeditus sit. Exemplum satis luculentum inter alia praebent feminae et masculi, inhabiles, qui feudum quidem nouum ad-
qui-

[p. 192.]

1) Vocabuli vim explicatam sistet *cap. XII. Distinct. 1. WOL.*

2) *II. Feud. 3. §. 1. MOEL.*